



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Secundus Imperator Xinnungus: Regnavit annis CXXXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

Vetuerit ejusdem cognominis puellam domum ducere; quia lex ho- *Museum in-*
dique religiosè servatur. Ad demulcendos dein hominum animos *strumentum*
atque affectus, ut & honestam oblectationem musicum instrumentum *excoxitatum.*
ad invenit triginta sex chordis instructum. Adeò jam tum præstabilis
putabatur musica; tanquam sine concetu Sinae non potuerint in civi-
lem consensum coalescere.

SECUNDUS IMPERATOR

XINNUNGUS:

Regnavit annis CXXXX.

FOHIO extincto XINNUNGUM insiguis pietas & amoenitas
 morum ad imperium evexit; quod annis centum & quadraginta tenuit. Sub hoc tempus, cum ingens hominum multitudo
 toto disseminata regno, carnibus tantum & herbis sponte nascentibus
 vesceretur; feris propè omnibus absuntis, vix alimenta deinceps sup-
 petebant sustentandæ vitæ necessaria. In eâ rerum penuria Impera- *Ante vulga-*
 tor naturam ferendis ultro frugibus ad mortalium alimoniam non *rem Christi E-*
 sufficerat arte cultuque juvit, aratro & reliquâ rusticationi aptâ su- *epocham 28; 7.*
 pellectili primitus inventâ. Ita terra ferro subacta quinque frugum
 genera, triticum, oryzam, milium frumentum Indicum, quod hodie
 Turicum vocamus, & legumina progenuit. Hinc illi XINNUNGUS,
 quod spiritalem agricolam sonat nomen inditum. Herbarum quoque
 omnium vires in expellendis morbis expertus, non in alieno, ut multi
 solent, sed in suómet corpore periculum fecit, quid in stomacho ad
 concoquendos cibos aliisque in membris aut morbis efficerent, cui
 malo creando vel extinguendo sufficerent. Et hoc tantâ solertiâ suc-
 cessuque fecit, ut eum vulgo oculis plusquam lynceis crederent omnia
 hominum corporumque arcana perspicere. Fama est, eum unius diei
 spatio ad sexaginta venenatarum herbarum genera cum totidem ea-
 rum antidotis distinxisse; quem incircu medicorum principem & au-
 thorem nominant. Ad hæc usque tempora certe simplicium medi- *Medicorum*
 camentorum usum, & vires exinde callent, ab optimis eam in rem li- *Princeps.*
 bris ita instructi, ut Dioscoride vel Matthiolis non indigeant; & ne *Libri herbari*
apud Sinas
antiquissimi.

C

pictore

14

pictore quidem alienigenâ, quando ijsdem libris plantæ ac radices omnes nativis coloribus ac figuris adumbrantur. Hæc pacis & œconomia studia, ut nihil in rebus humanis diuturnum, importuna sedatio contaminavit. **S O X A T I U S** dynasta quidam tributarius ad defctionem spectabat, **K I V E N T U M** prefectum à concepto scelere amicâ oratione dehortantem ausus è medio tollere. De perfidia edetus Imperator nec arma in illum, neque ultionem paravit; sed optimam viacendi rationem in clementia reponens, si reus intelligeret suum scelus dominantis virtute superatum, hominem veniâ donavit. Prorsus raro Principum exemplo, qui ad veniam quandoque difficiles majestatem putant solo ferro defendi. Neque **X I N N U N G U S** in hunc unum adeò humanus fuit, sed, ut erat mitis ingenij, gloriam boni principis in æquitate populi que charitate posuit. Quibus rebus id effectit, ut ipsimet **S O X A T I I** cives acerbè ferentes tantâ Imperatoris virtute regulum suum adeò turpiter abuti, **S O X A T I O** interento tam pio Imperatori ultro se subjicerent. Nec dubitatâre, qui rebelli dynastæ ignovisset, in deditios clementem fore. Nimirum est quandoque, cùm ad initiandum obsequio populum plus virtus, quam vis & arma valent. Exinde diuturna fuit imperij tranquillitas, imperantis moderatione stabilita. Postea verò, quam centum & quadraginta regnavit annis; ab alio regulo, qui ei deinde in imperio successit, bello petitus & vietus occubuit. Ista clades in monte Fano accidit eo loco, ubi nunc **Y E K I N G**, provinciæ, cui nomen **P E K I N G**, civitas est sita; penes quam gentem ad hanc usque tempora primi hujus, ut putatur, in orbe bellum memoria servatur.

*Pietas armis
demonstrat.*

*primum in
orbis bellum.*

TERTIUS IMPERATOR

HOANGTIUS:

Regnavit annis C.

*Ante Christum
2697. Cyclo 1.
anno 1.*

HOANGTIUS igitur perduellione, vi & armis imperium occupavit; de cetero virtute nulli secundus, elegant etiam formâ & staturâ ultra modum procerâ. Et ab hoc denum Imperatore, tametsi bini illum antecesserint, Sinæ Cyclum suum sexaginta annis